



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 154. Quid notandum sit circa resignationes in favorem tertii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

1051

Q. 154. Quid notandum sit circa resignationes in favorem tertii. R. Seqq.

§. I. Solus Papa potest admittere resignationes in favorem tertii, *Rebuff. Garc. Barb. Lott. Pirb. Leur. p. 3. q. 381.* Rationem dant *Castrop. t. 17. d. 3. p. 17. n. 3. & Haun. de Just. T. 6. tr. 2. n. 569.*, quia cum AA. citatis n. 957. putant beneficium sub conditione resignatum non vacare ante positam conditionem, nemo autem præter Papam potest conferre beneficium necdum vacans. Unde peccat, qui sic resignat apud inferiorem Papam, nam etiam prohibetur à *Pio V.*, *Castrop. n. 4.* Peccatque etiam admittens resignationem sic factam, uti notat *Suar.* Et talis resignatio videtur esse etiam invalida ex vi motus *Pii V.*, uti rectè *Sanch. in Conf. l. 2. c. 3. d. 36. n. 21.*, ita ut nequeat Episcopus vel alius collator rejectâ illâ conditione beneficium conferre, *Rebuff. Suar. Less. Barb. Garc. Castrop. Pirb. Engel, Leur. q. 382. contra Covar. Boer. Redoan.* Ratio est, quia cum actus ille non possit admitti totus, id est, cum illa conditione, sub qua tantum & non aliter fit, nihil juris dimittitur, adeoque totus invalidus est.

1052

§. II. Resignatio in favorem facta coram alio quàm Papa, secundum *Felin. Rebuff. Sarn. Mandos. Redoan. Gutt. Vgol. Gonz. Suar. Less. Paris. Az. Garc. Lott.* est simoniaca: quod certum videtur, si cum admittente ineatur pactum de non conferendo alteri nisi designato, quia omnis pactio in beneficiis est prohibita ob vitandam simoniam, secundum dicta l. 3. p. 1. n. 57. & 70. E contra si absit talis pactio, & resignans tantum dicat, *resigno beneficium, non aliter, quàm ut conferatur Titio*, non est simonia, cum pactio absit, & tantum peccat ita fieri, possitque rejici, *Sot. Covarr. Valent. Vega. Staph. Zerol. Suar. Vasq. Less. Castrop. Pirb. Barb.*

de jure Eccl. l. 3. c. 15 n. 54 *Du Hammel*, in Decal. l. 1. c. 8. n. 5. Vide *Leur. q. 727*. Quod si quis resignet cum ea tantum intentione, spe aut etiam supplicatione, ut conferatur Titio, nec est simonia nec illicitum, secundum dicta n. 1014. Præterea si Episcopus ex causa velit unire meum beneficium beneficio Titii, permittere possum & consentire in favorem Titii, qui non accipit vi resignationis meæ, sed vi unionis, *Garc. Tond. Leur. q. 730*.

§. III. Si ego resignem meum beneficium in favorem tui nepotis, & tu resignes tuum in favorem mei nepotis, quamvis videatur esse permutatio, attamen non est, sed duplex resignatio in favorem tertii, quæ vocatur *reciproca*, & non potest admitti ab Ordinario, *Paris. Az. Leur. q. 735*; imò à *Suar. Less. Castrop. n. 11*. rectè dicitur simoniaca, si accedat pactum. Consequenter si ex pacto saltem tacito resignem meum beneficium Cajo, ut Cajus suum resignet Titio, & Titius suum mihi resignet, vocatur renunciatio *triangularis* & est simoniaca, *Castrop. supra*, & t. 13. d. 6. p. 3. §. 1. n. 1. Notant tamen *Suar. & Less.* facile evitari simoniam & peccatum, si nempe cum licentia Ordinarii ego permutem meum beneficium cum Cajo, & Titius suum permutet mecum jam habente beneficium Caji.

§. IV. Si quis probari possit resignasse beneficium suum in favorem tertii apud alium quam Papam, sciens id invalidum esse, in pœnam sui facti potest eo beneficio privari, ita ut collatori fiat liberum, cui voluerit, illud conferre, *Suar. Paris. Castrop. Less. l. 2. c. 35. n. 86*.

Q. 155. *Quid notandum sit circa resignationes cum reservatione fructuum vel pensioni.* R. De his videri potest *Leur. p. 3. q. 417. & seqq.*, item dicenda à n. 1121. Adde tamen etiam seqq.

§. I.

1053

1054

1055